

**Programma a Decano Et Reliquis Collegii Philosophici In Academia Rostochiensi
Professoribus super Funere Luctuoso Collegae sui desideratissimi Viri ... Dn. M.
Christiani Arndii, Logices Professoris eximii in alma Rosarum & pie defuncti,
publice propositum Die XXVII. Martii Anno M. DC. LIII. sub Sigillo Facultatis**

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745847633>


Druck Freier  Zugang





Coll. philos.,
in C. Arnd.

R. 1653.

37.







PROGRAMMA
DECANO

Et
RELIQUIS COLLEGII PHILO-
SOPHICI IN ACADEMIA ROSTO-
CHIENSI
PROFESSORIBUS

super Funere Luctuoso Collegæ sui desidera-
tissimi

U I R I

Clarissimi atq; Excellentissimi

DN. M. CHRISTIANI
ARNDII,

Logices Professoris eximii in
alma Rosarum & piè defuncti,
publicè propositum.

Die *XV. Martij* Anno M. DC. LIII.
sub Sigillo Facultatis.



OS(O)SO

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO 1703, 12c. LIII.



Uamvis in hoc rapidissimi tempo-
ris cursu unicuiq; incumbat, versanti in-
turbido hujus mundi Oceano, omni-
umq; malorum pleno, ut, cum omnibus
vitâ mortali fruentibus, ex hac vita emi-
grandi immutabilis lex, & necessitas sit posita, singulis
momentis ante oculos habeat portum, ad quem tendat,
& quotidianos progressus faciens memoriam perpetuò
excitet ad emigrationem ex societate humanâ, ipsamq;
mortem, quâ nihil aliâs est terribilius, cogitatione pro-
pinquioris accessionis magis magisq; sibi reddat fami-
liarem: Stupendam tamen divinæ providentiæ admira-
ri solemus seriem, & rationem humano ingenio inexpli-
cabilem; quoties diem cum morte dividere, & in locum
communem abire, conspiciamus, quorum præsentia diu-
turiorem, & vitæ longioris usum multorum expetebat
salus, & vehemens desiderium. Etenim quid causæ esse
arbitrabimur, vel quam comminisci duntaxat poterim⁹
rationem, quòd conjugalis ordinis autor, rerumq; con-
servator, societatem illam arctissimam mutuâ, suavissi-
mâq; animorum affectuum conspiratione non ita pridē
inchoatam, & pignoris communis flagrantissimo amore,
atq; curâ adstrictam tam subito ictu patiatur disrumpi,
eosq; medio ætatis vere de vitæ statione deturbari, qui-
bus pietas, virtus, & salus cōmunis erat curæ; Cum quo-
vis sub axe reperiantur, qui lento gradu incedunt, & ad
grandem perveniunt senectutem, licet vel mutuis diris
mortem multoties sibi prius imprecantur, quàm interni
vigo-

vigoris defectu intereant, & extinguantur: vel etiam nihil tantâ desiderant aviditate, quàm ut in lubrica voluptatis, & otii via hærentes omnem vitam sine ulla transigant molestia. Quemadmodum stellarum aliæ supra finitorem ascendentes in parte cœli conspicua morantur diutius; Aliæ, quamvis multas ex prioribus splendore, & pulchritudine longè antecedant; gressu tamen declivi celerius ad occasum inclinant, & breviori temporis intervallo terræ gremio absconduntur: Simili ratione, quorundam hominum vita absolvitur prolixiori & diuturniori morâ: Quorundam verò, etsi multos ex prioribus virtute, & præclaris ingenii dotibus superant, angusto peragitur spatio. Certò quidem scimus, nihil à summo illo rerum moderatore posse promanare, quod non optimâ ratione geratur; nos verò cum non eam habeamus naturam, quæ in cœlestem cognitionem suis viribus sese efferat, illam haud assequimur, & specie per errorem arreptâ, rem ipsam, ejusquæ causam nos bene novisse, non rarò arbitramur. Genethliacus anxie perlustrat horoscopus, & omnes cœli Angulos, ut illorum Dominis accuratè cognitis, & stellarum positu, vel aspectibus bene observatis, omnium eorum, quæ contingunt, rationem addat ex sideribus, parum autem, vel nihil perpendens, quod Dominus per Prophetam dixit: Ego sum Dominus, irrita faciens signa divinatorum, & Harolos in furorem, vertens, convertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens. Medicus, causam morbi inventam, sperat quidem, quod ægrotanti consilio, & ope possit succurrere; quando autem alii medicamenta videt esse salutaria; alii autem ejusdem generis morbo laboranti ea, vel optimè & summâ industriâ præparata nihil prodesse, ipse sæpe miratur; Sciscitanti autem, cur id fiat, ex suæ

artis indicio nihil respondet, etiamsi interrogatur ipse.
Galenus & in medicâ arte præclare versatus Hippocrates.
Alii licet non intelligant, cur æger decumbat, & in
lecto detineatur, ad judicandum tamen de morbi causa
ejusq; medicina multò sunt promptiores, quàm optimus
medendi artifex, & succurrendi ægroto studiosus. Desi-
namus igitur hoc in casu scrutari, ad quod rationis hu-
manæ infirmitas haud potest penetrare, ejusq; volunta-
ti nos submittamus, qui sicuti multis seculis ante nos re-
rum humanarum curam gessit; ita & ea, quæ sunt supra
nos curat, & quæ post nos ventura sunt suâ disponet, &
curabit bonitate. Ecce nondum semitæ suæ dimidiam,
sol interea peragravit partem, dum exuviæ D. DANIE-
LIS MICHAELIS, p.m. ad sepulturam efferebantur,
eiq; ultimum Christiani honoris officium non sine mul-
torum tristitia & luctu exhibebatur. Hodie producimus
Virum Dn. M. CHRISTIANUM ARNDIUM, Col-
legam, & Amicum nostrum, dum viveret, amantissimum,
eumq; dolentes ultimo, quem charitas, & nostrum offi-
cium ipsi debet, honore prosequimur. Uterq; non tan-
tum à Parentibus ejusdē ordinis, & dignitatis in eodem
Patriæ solo sunt nati & educati; sed etiam membra uni-
us corporis fuerunt utilissima, quæ si fata nostro invis-
sent ordine, & voluntate, apud mortales vitam vixissent
multò diuturniorem. Ut verò vitam nostri piè defuncti,
sicuti fieri soles, ab illo tempore inchoemus, quo ipse hu-
jus mundi theatrum est ingressus, natus est Anno mille-
simo sexcentesimo vigesimo tertio, die secundo Julij,
Güstrovij, in urbe, quam Illustrissimi ac Celsissimi Prin-
cipis Aula Magnifica facit celebrem, Patre Dn. M. SA-
MUELE ARNOLDI, Verbi divini Ministro, & Su-
perintendente per XXXII. Annos ibidem optimè me-
ritò,

rito, Viro pietate & doctrinâ eximio. Matre ANNA
MERTELIA, Matronâ pietate & Virtute ornatissimâ,
Viri Reverendi Dn. ERHARDI MERTELII, Pasto-
ris Cathedralis Ecclesiæ Güstroviensis per XX. Annos
fidelissimi relicta Filiâ. Horum Parentum diligens fuit
cura, ut Filius, simulac hanc lucem aspexit, in Sacro
Sanctum Christi fœdus receptus per regenerationis la-
vacrum, & Ecclesiæ albo inscriptus à prima ætate ante,
omnia probè educaretur, & ad sacrarum literarum studi-
um omni conatu, & industriâ applicaretur. Neq; ista
cura parum bene atq; feliciter cessit, siquidem pietatis
succum, & semina unâ cum lacte hausit ex Maternis ube-
ribus. Quod enim Filio, ut Parentum dulce esset decus,
& solatium, noverat convenire, ei postea ita in toto vi-
tæ decursu fuit deditus, ut quotidiano exercitio illud
abunde declaraverit. Quamprimum autem ætas ejus tu-
lit, ut Patriæ Scholam ingrederetur, felicissimos in ea
fecit progressus adeoq; ut non solum Parentibus, atque
Præceptoribus, quorum operâ utebatur publicâ & pri-
vatâ, sed etiam quibuslibet aliis doctrinæ amantibus
haud immeritò probarentur. Quod cum Parentes non
sine magna perciperent lætitia Lunæburgam ipsum ab-
legârunt, ut, quæ in Patria optimè erant inchoata, ibi-
dem, ut cœpisset, diligenter continuaret. Quia verò
ingenii felicitate & studio indefesso sibi jam acquisive-
rat, ut ad altiora in Scholis Regni fideliter discenda a-
nimus suum applicare posset, Parentum optimo consi-
lio, Lunæburgâ relicta, venit Rostochium, ubi in Philo-
sophia Peripatetica id præstitit, ut sapientum judicio
honorem, quem ipsi Virtutis & doctrinæ cultoribus
conferre solent, ibidem meritò sic consecutus. Instru-
ctus hoc publico eruditionis & Virtutis testimonio fa-


ciliores ubi vis invenire poterat Viros omnis doctrinarum generis peritos, & Theologos virâ doctrinâq; hoc seculo maximè florentes. Quamobrem sine ulla cunctatione perlustrare cæpit Urbes Germaniæ, & Hollandiæ præcipuas, ut, quod sibi suoq; studio aptum, summâ observaret industriâ, atq; in suam converteret utilitatem. In Academia Lpfienfi, quia oculos & ingenium intendebat ad S. S. Theologiæ studium, hospitem, & Præceptorem elegit Virum DN. D. JOANNEM HULSEMANNUM, S.S. Theologiæ ibidem Professore excell. Ab hoc cum non absq; singularis benevolentiae indicio, & affectu esset dimissus, Argentoratum sese contulit, ubi mensâ & contuberniõ usus est DN. D. DANHAWERI Theol. celeb. Inde venit Lugdunum Batavorum, ubi cum aliquandiu substiterat, autoritate, Illustrissimi Principis ac Dn. Dn. ADOLPHI FRIDERICI, Ducis Mecklenburgici Domini nostri clementissimi ante triennium vocatus est, ut publico Professoris munere fungeretur, & in hac Academia proponeret Disciplinam rationalem, cujus usus & scientia, cum unicum sit illud medium, per quod veritatem erimus latentem, atq; è suo Principio erutam contra Sophistarum insultus accuratè defendimus, à quovis liberali ingenio maximè est expetenda Anno 1649. die XIX. rediit ad Patrios lares, & vocatione IX. Jan. instructus rediit in hanc Academiam die XIII. Febr. Ut autem sibi esset, cujus potissimum uteretur consilio, ope, & conversatione, convictor factus est Viri admodum Reverendi Dn. D. JOANNIS COTHMANNI, hujus Academiae, dum viveret, Professoris Theologiæ celeberrimi. Quemadmodum autem laboris & vocationis nostri principium solet esse difficile, & cum magna con-


jungi


jungi molestia, ne quis propter dona sibi divinitus ex
mera gratia concessa, sese efferat; ita quoq; noster janu-
piè defunctus eandem humanæ conditionis sortem non
sine causa experiri coactus est. Die autem XV. Augusti
ritu solito est introductus. Ab hujus temporis articulo
publicè & privatim erudit illos, qui eruditionis & Virtu-
tis fuerunt cupidi, illudq; sibi sedulò commendatum ha-
buit, quod Virum ingenuum decet, & officium, quo fun-
gitur, maximè exornat. Matrimonium inivit Anno
M. DC. LI. cum Lectissima & Pudicissima Virgine,
ANNA LEMCHIA, nunc moestissimâ Viduâ, Viri
integerrimi & honestissimi HERMANNI Lemben/
& ELISABETHÆ Schwarzkopffe/ Fœminæ pietate,
& Virtute ornatissimæ Filiâ, ex qua unici Filioli S A-
MUELIS CHRISTIANI, (quem Deus diu servet
incolumem) die Bartholomæi Anno M. DC. LII.
nati, factus est Parens. Conjugium quidem fuit concor-
diæ, fidei & amoris plenum, sed quod dolendum, non
diuturnum, Die XVII. Martij, horâ IV. vespertinâ fe-
bris continua ipsum occupavit, anteambulo mortis, quæ
ipsum quoq; celeri gradu insecuta est. Intermissum qui-
dem nihil omnium, quæ facerent ad vires naturæ corro-
borandas, & morbi violentiam removendam; quia au-
tem Deo, in cujus solius manu vita & salus nostra est po-
sita, magis habitum fuit ipsum in coelestem illam Acade-
miam, in quam omnes cupimus intromitti, transpone-
re, quàm in hujus vitæ squalore diutius relinquere; nul-
la potuit inveniri medicina, quæ vitæ hostem abigeret,
& sanitatem, optimum illud divinæ bonitatis benefi-
cium, ægroto restitueret. In cujus voluntate cum ipse
placido animo acquiesceret, & ad instans iter non me-
lius sese præparari posse à prima ætate didicisset, quàm
si via-

si viatico esset instructus, quod appetunt omnes viatores qui solius Christi merito freti, ex hac lacrymarū valle in Civitatē credentibus ab æterno præparatā cupiunt migrare, & cum Christo amico humani generis optimo in æternum esse & vivere, die XXII. Martij ad sese vocari petiit Virum Admodum Reverendum Dn. D. CASPARUM MAURITIUM, S.S. Theol. D. Eximium & Collegam nostrum honorandū, ut ultimā vice in hoc mundo sacrā Synaxi uteretur. Quod cum faciliè impetraret, seriā ac devotā confessione præmissā, corpus & sanguinem Christi accepit summa cum animi constantia & fide in Christum. Subsequente autem die, antequā lues ipsum expirare faciebat, ab illo, cujus ministerio sacræ synaxis factus fuerat particeps, iteratis vicibus visitabatur. Ab hoc scripturæ efficacioribus dictis erectus firmā concipiebat fiduciam, eamq; sermone aliisq; constantiæ & fidei in Christū iudiciis satis superq; demonstrabat. Habebat itaq; adversum mortem pectus robè munitum, & præparatū, cum eodem die horā VIII. vespert. Anno ætatis XXIIX. placidè & beatè obdormiebat, & apud nos diutius esse & vivere desinebat. Ecce vitæ humanæ curriculū! adeo nō ambulant eandem viam consiliū nostrū, & Dei voluntas. Quantò autē citius, Deo nobis favente, hinc discedimus, tantò, nobis est melius. Quamobrem defuncti vicem dolendam esse non arbitror, cum illius conditio millicuplo sit melior atq; olim, quando adhuc gerebat caduci corporis exuvias. Nos per varios casus & novercantis fortunæ insultus tendimus in cœlestem illam Patriam. Ab hisce omnibus ipse est immunis, & cum Deo in choro Angelorum, omniumq; Electorum securum, agit ævum, & gratā fruitur requie.

Relictum autem animæ habitaculum cum hodie mediā primā dormitorio suo commendetur omnes Academiae Cives amici invitantur ut definito temporis articulo in D. Jacobi conveniant lubentes, & suā honorificā præsentia illud frequentes comitentur.










jungi molestia, ne quis propter don-
nera gratia concessa, sese efferat; ita
piè defunctus eandem humanæ cond-
sine causa experiri coactus est. Die a-
ritu solito est introductus. Ab hujus
publicè & privatim erudiit illos, qui e-
tis fuerunt cupidi, illudq; sibi sedulo
buit, quod Virum ingenuum decet, &
gitur, maximè exornat. Matrimo-
M. DC. LI. cum Lectissima & Pu-
ANNA LEMCHIA, nunc moes-
integerrimi & honestissimi HERM-
& ELISABETHÆ Schwarzkopffs
& Virtute ornatissimæ Filiâ, ex qua
MUELIS CHRISTIANI, (qu-
incolumem) die Bartholomæi An-
nari, factus est Parens. Conjugium q-
diæ, fidei & amoris plenum, sed quo-
diurnum, Die XVII. Martij, hor-
bris continua ipsum occupavit, antea
ipsum quoq; celeri grada insecuta est
dem nihil omnium, quæ facerent ad-
borandas, & morbi violentiam rem-
tem Deo, in cujus solius manu vita &
sita, magis lubitum fuit ipsum in coele-
miam, in quam omnes cupimus intro-
re, quàm in hujus vitæ squalore diut-
la potuit inveniri medicina, quæ vitæ
& sanitatem, optimum illud divinæ
um, ægroto restitueret. In cujus v-
placido animo acquiesceret, & ad in-
lius sese præparari posse à prima ætat-



the scale towards document

titus ex
er jam
em non
Augusti
articulo
(Virtu-
tum ha-
uo fun-
Anno
irgine,
nâ. Viri
embfen/
ietate,
li SA-
a servet
. LII:
oncor-
, non
tinâ fe-
tis, quæ
m qui
corro-
quia au-
est po-
Acade-
spone-
re; nul-
igeret,
inefici-
m ipse
on me-
quàm
si via-